


NUMMUS CASTRENSIS

PHILIBERTI, DUCIS SABAUDIÆ

Cæsarianarum copiarum, in obsidione Hesdini,
Præfecti: Cusus Anno Chri-
sti 1553.



HENRICUS Gallorum Rex, auditâ Tervannæ jacturâ, magnoperè turbatus est: quod tot præclaros Duces uno tempore cum urbe amisisset. Veritus igitur, ne Hesdinum iisdem artibus caperetur, cui Robertus Dux Bullionæus cum præsidio præerat, mittit eò quoque Horatium Farnesium, cum multis Italis Galliæque Proceribus. Vice versâ, Philibertus Allobrogum hos apparatus percipiens, incredibili studio Cæsarianas copias Hesdinum adducit, arctissimâ, tri-

bus lateribus, oppidum cingit obsidione: concutit plus minus septuaginta tormentis bellicis: facit cuniculos ubique ad evertenda mœnia: nullum quietis spacium obsessis neque interdiu, neque nocte relinquit. Gallorum eâ in expugnatione licet fortitudo enituerit evidenter; Cæsariani etiâ multa suorum jacturâ coacti fuerint in castra recedere: renovatâ tamen verberatione, atque per has pugnas paulatim defensoribus imminutis, Bullionæus deditionem certis consilijs decernit. Dux Subaudus cum appareret illis passionib. assentiri, nec quicquâ de esset præter obsides, & subscriptiones, Cæsariani, qui rem ægrè ferebant, quia vel gloriâ, vel prædâ, per hanc compositionem sibi existimabant è manibus præripi, levia certamina cû Gallis committunt: paulò post etiam per ignem supposititium graviter læsi, tantâ corripuntur indignatione, ut omni sermone de foedere neglecto conatus pristinos renovarint, obsessis aggeres disiectos singulari diligentia reficientibus. Interim Dux Allobrogum ad expugnationem oppidi mirum quoddam stratagema excogitat: jubet verberationem acerrimè renovari: quæ cum per biduum facta fuisset, omnibus defensionibus prostratis, atque cuniculo sub iisdem manibus excavato, quo locus erat invadendus: statutum est, ut cum primum phalanx ad murum accederet, aperiretur: altera que ejus pars ad dextrâ, altera ad sinistram distribueretur, atque ita vacuum spacium in medio relinqueretur. Ubi dies ad pugnam destinatus adventasset, Allobrox Cataphractis in acie constitutis: addit agmen confertum peditum, milites jubet ad invadendum accurrere,